

natos sacerdotio Christi: nec solum in genere entis, sed etiam in genere sacramentali, et specialiter ad cultum Dei pertinentis in christiana religione eos eliciendi.

XLIII. Ad id denique quod dicitur, non esse fundamentum ut ponatur in intellectu character, si non ordinatur ad appetendum aut cognoscendum, respondetur poni in intellectu potius quam in voluntate, quia subordinatio ad sacerdotium Christi in his quæ sunt specialiter religionis ejus, pertinet ad intellectum, ad quem pertinet sacerdotium Christi. Item, quia esse specialiter protestativa fidei sensibiliter secundum ritum christiānum, oportet quod descendat a potentia illa, quæ tractat et ordinat ea quæ fidei sunt, potius quam ad voluntatem, quæ tractat bonum modum se habendi erga ea, quæ fidei sunt. Et ideo simpliciter esse protestativa fidei in ritu christiano, et secundum configurationem ad sacerdotium Christi, magis est opus ministeriale intellectus, quam voluntatis.

XLIV. Ad id quod dicitur, an sit operativus actus vitalis interioris, dico quod neque exterioris, quantum ad substantiam et elicientiam, cum isti eliciantur a subjecto ut a causa principali; sed tam interioris quam exterioris, quoad modum, seu ministerialem rationem, qua servitur sacerdotio Christi, quo in validitate sacramentali et religiosi cultus Christo configurantur, et protestativi fiunt fidei ejus in ritu christiano.

ARTICULUS V.

Utrum character insit animæ indelebiliter?

I. Duæ conclusiones possunt elici ex articulo. Prima: Character inde-

lebiliter manet in anima; in fine corporis.

II. Secunda: Post hanc vitam manet character; in solutione ad tertium.

III. Circa primam conclusionem duo termini notandi sunt, scilicet in anima, et indelebiliter. De primo termino nihil in præsentis articulo, quia est materia præcedentis articuli, ubi determinatum est in qua parte animæ maneat, scilicet, in parte intellectiva, quod in præsentis etiam repetit S. Thomas in corpore.

IV. De secundo termino est totus hic articulus, scilicet indelebiliter; circa quem statim se offert advertendum, quod notavit Cajetanus hic §. 1, et post illum commentatores alii, quod potest dupliciter sumi; vel respectu omnipotentiae Dei, et iste non est sensus litteræ, quia certum est, quod sicut ipsa anima potest destrui, saltem per suspensionem conservationis, sic et character potest destrui suspendendo conservationem ejus; vel secundum legem communem, seu attenda natura ipsius characteris, et in hoc sensu intelligenda est conclusio utraque.

V. Prima ergo conclusio est de fide definita in Concilio Florentino, in decreto Eugenii, et in Tridentino sessione VII, canone IX, ubi character dicitur signum indelebile.

VI. Ratione autem probat hanc conclusionem S. Thomas, præter argumentum Sed contra, in corpore hoc modo: Sacerdotium Christi est æternum; sed character sacramentalis est quædam participatio sacerdotii Christi in fidelibus ejus: ergo character indelebiliter manet in anima. Majorem non aliter probat D. Thomas, quam ex sacris Scripturis ex illo Psal. CIX: *Tu es sacerdos in æternum*. Et posset adduci etiam illud Pauli ad Hebræos VII, qui postquam de Christo intellexit testimo-

nium Psalmi præcedens, addit: *Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*. Minorem probat D. Thomas ex articulo tertio præcedenti, ubi probatum reliquerat: « Quod character sacramentalis est character Christi, cujus sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quædam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatæ. » Consequentiam vero probat, quia omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdotium Christi, est perpetua, re consecrata manente. Adducit exempla de ecclesia, et altari consecrato, cujus consecratio semper manet, nisi destruat vel ecclesia, vel altare. Et cum anima, in qua recipitur character, sit perpetua et incorruptibilis, sequitur bene quod consecratio ejus, quæ fit per characterem, etiam sit perpetua, ac per consequens character.

VII. Contra conclusionem arguit Scotus in IV, dist. VI, quæst. IX, ab inconvenienti, scilicet, quod virtus sacramentalis, seu supernaturalis in sacramentis nunquam posset corrumpi, sicut character ponitur indelebilis a D. Thoma; quod tamen apparet falsum, cum plura sacramenta (imo et omnia præter eucharistiam) in fieri actionis consistant, et sint successiva, et nullam permanentiam habeant; et per consequens nec virtus sacramentalis supernaturalis in illis daretur. Hoc inconueniens elicit Scotus ex hac conclusione ad probandum intentum suum, quod scilicet non detur talis virtus in sacramentis, de quo supra quæst. LXII, art. I et IV.

VIII. Contra rationem etiam potest objici; tum, quia minor assumpta non est universaliter vera, quia non omnis character est participatio sacerdotii Christi; quod probatur, quia ut habet D. Thomas articulo

tertio per characteres fideles figurantur Christo; sed licet per characterem sacerdotalem fideles, qui instituuntur sacerdotes, figurentur Christo summo sacerdoti, et ideo character ordinis sit participatio sacerdotii Christi, tamen per characterem baptismi, et confirmationis fideles non fiunt sacerdotes, ut est notum, et sic tales characteres non assimilantur Christo sacerdoti, et consequenter nec characteres possunt dici participationes sacerdotii Christi.

IX. Tum, quia consequentia non est formalis, quia vis rationis consistit in illo principio, quod sacerdotium Christi est æternum, et ideo participatio talis sacerdotii est æterna, quia est participatio alicujus æterni. Instatur enim in gratia, quæ est participatio naturæ divinæ, quæ non est minus æterna quam sacerdotium Christi, et tamen non est perpetua nec indelibilis, quamvis recipiatur in anima, in qua recipitur character; et idem est de aliis habitibus supernaturalibus.

X. Nec satisfacit solutio D. Thomæ hic ad primum et secundum, scilicet, quod gratia est forma completa, et datur ut anima media illa operetur ut causa principalis juxta suum liberum arbitrium; et ideo datur juxta conditionem animæ libere et mutabiliter operantis; character vero est virtus instrumentalis, et ideo sequitur conditiones agentis principalis, a quo natus est moveri; unde sequitur immobilitatem principalis agentis.

XI. Non, inquam, satisfacit hoc, quia ex hoc ipso sequitur intentum, quod consequentia non sit formalis, si quidem ultra hoc quod est esse participationem alicujus æterni (in quo convenit character cum gratia) requiritur aliud principium, in quo character differt a gratia. Ex quo probatur indelebitas in cha-

ractere, et non in gratia; et hoc principium deficit rationi, propter quod deficit consequentiæ formalitas.

XII. Præterea, quia sicut gratia datur, ut ea homo utatur quomodo, et quando vult; ita character taliter est virtus instrumentalis, ut eo utatur homo quomodo, et quando vult, quia sacerdos libere potest quomodo, et quando voluerit uti characterem ad consecrandum: ergo si gratia propter hoc est debilis, quamvis sit participatio alicujus æterni, ita in characterem non probatur immutabilitas, propter hoc quod est participatio sacerdotii æterni, sed poterit esse debilis sicut gratia.

XIII. Respondetur ad Scotum, omissis quæ jam diximus supra locis citatis, cum Cajetano hic §. Adverte secundo, quod ex indelebilitate characteris in anima, quamdiu anima manet, posset etiam probari virtus supernaturalis in sacramentis, quamdiu manent sacramenta, ut in eucharistia quamdiu manent species consecratæ incorruptæ, quia ibi manet corpus Christi, in quo est talis virtus; et in aliis sacramentis quamdiu durat fieri ipsorum, quod non est inconveniens, sed necessarium.

XIV. Vel etiam potest dici, quod virtus instrumentalis in sacramentis est per modum motionis transeuntis, ut sæpius dictum est; character autem est instrumentum permanens, et ideo nulla est instantia Scoti, quod quia permanens durat, motus seu motio debeat pariter permanere. Præter characterem enim illa motio supernaturalis instrumentalis ponitur in actuali usu ejus.

XV. Ad impugnationes contra rationem D. Thomæ respondetur. Ad primam dicimus, quod non solum character sacerdotalis est par-

ticipatio sacerdotii Christi, sed etiam character baptismi et confirmationis. Et ratio est, quia ut habet D. Thomas articulo tertio ibi citato: « Totus ritus christianæ religionis derivatur a sacerdotio Christi: cum autem per sacramenta deputentur homines ad aliquod spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali characterem designentur, » ut habet D. Thomas articulo primo, in hac questione. Ex quo patet clare solutio, quod quia baptismus et confirmatio pertinent ad cultum Dei secundum ritum christianæ religionis, characteres, qui ab his sacramentis causantur, derivantur a sacerdotio Christi, et consequenter sunt participationes talis sacerdotii, et assimilant fideles Christo, licet non sicut character sacerdotalis, quia iste agendo, alii vero recipiendo assimilantur; quod satis clare docuit D. Thomas articulo secundo, dicens: « Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad baptismum, perficiens eum divinum, et communicatorem divinorum, » afferens hoc ex Dionysio; et subjungit S. Thomas: « Divinus autem cultus consistit in recipiendo aliqua divina, vel in tradendo aliis. » Ita ibi.

XVI. Ad secundam respondetur per solutionem ibidem allatam ex D. Thoma, quæ optima est. Et ad ejus impugnationem respondetur, quod consequentia rationis D. Thomæ est formalis, desumpta ex principio adæquato indelebilitatis characteris, supposita ejus natura, quod sit qualitas instrumentalis. Et hoc principium licet sit congruum, et optimum ad solvendam objectionem, quæ fit de gratia, propter quod utitur D. Thomas illo in solutione ad primum et secundum, quia in hoc consistit differentia characteris a gratia, quod illa sequatur mobili-

tatem subjecti, iste vero non, sed agentis principalis immobilitatem, quia illa datur per modum causæ principalis, iste vero per modum causæ instrumentalis, tamen non erat sufficiens principium ad probandam indelebilitatem characteris, quia ex hoc quod esset qualitas instrumentalis, non poterat inferre quod esset indelebilis, quia hoc non est proprium instrumentalis virtutis, imo oppositum regulariter contingit; et ideo recurrendum erat ad aliquod aliud, unde indelebitas probaretur; et non est aliud nisi principium a quo causatur exemplariter, et cujus participatio est, scilicet, sacerdotium Christi, qui est agens principale.

XVII. Ad aliud quod objicitur, quod character datur dependentem a libero arbitrio, sicut gratia, dicimus quod licet in aliquo convenient (scilicet, in hoc quod characterem utitur homo quando vult, sicut et gratia) differunt tamen valde, quia characterem utitur homo bene vel male, gratia vero non ita, quia licet posset homo uti gratia quando voluerit bene operari, non tamen quando voluerit male, quia quando vult peccare destruitur gratia. Hoc tamen non habet characterem, quia datur ut valide fiat, non ut bene fiat, ut diximus articulo præcedenti. Et ideo non est eadem ratio: bene enim stat, quod gratia et characterem utatur homo quando vult, et non eodem modo. Gratia enim utitur tamquam causa principali, characterem vero tamquam causa instrumentali; et ideo illa dependet a mobilitate voluntatis, iste vero non.

XVIII. Ex qua differentia oritur alia ratio pro conclusione, scilicet, quod character in anima receptus non habet contrarium, a quo destruitur, quia peccatum non contrariatur illi; potest enim homo cum peccato consecrari et bapti-

zari, sine eo quod perdat characterem, unde homo non potest characterem semel receptum a se expellere.

XIX. Sed conclusio potest probari eadem ratione D. Thomæ, sic: Omnis sanctificatio derivata a sacerdotio Christi est perpetua, re consecrata manente; sed anima, quæ in hac vita per characterem consecratur, remanet in alia vita: ergo etiam character.

XX. In solutione ad tertium etiam probat D. Thomas hac ratione: Quamvis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, manet tamen finis illius cultus; ergo post hanc vitam manet character. Consequentia patet exemplo, quia militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam; et per characterem sacramentalem designantur homines in hac vita, quæ militia est super terram, ut milites Christi: ergo in alia vita, adepta jam victoria, remanet.

XXI. Ad quid deserviat, explicat D. Thomas; in bonis, ad eorum gloriam; et in malis, ad eorum ignominiam, sicut in militibus post victoriam remanet character militaris in victoribus ad gloriam, et in victis ad pœnam. Sicut enim in sanctis remanent virtutes, etiam morales, per quas vicerunt concupiscentiam carnis, et in Christo cicatrices corporis in passione susceptas (et hoc ad magnum decorem gloriæ) sic et character sacramentalis, per quem distinguuntur baptizati a non baptizatis. Et sacerdotes per characterem sacerdotalem designantur, et eorum merita, quæ per debitam dispensationem sacramentorum operati sunt ad tantam gloriam consequendam. Et martyres, qui characterem confirmationis roborati fortiter coram tyrannis fidem professi sunt; et ideo tali laureola insigniti. Totum hoc e

contrario continget in damnatis, qui speciales pœnas habebunt, baptizati, sacerdotes, etc.

XXII. In fine commentarii hujus articuli disputat Suarez an character sit qualitas, quæ intendi et remitti possit. Et Vazquez capite quinto, in fine inquit, quod hæc quæstio est frivola. Et certe nullius momenti est, quia character est qualitas causata a Deo per sacramentum; et cum sacramenta, quæ characterem causant, non sint iterabilia, constat quod character non est qualitas intensibilis, quia intensio qualitatum fit per actionem causativam repetitam. Nec est ratio quare magis vel magis intensa detur hæc qualitas in uno, quam in alio, si quidem non datur ad mensuram dispositionis recipientis, ut supra dictum est. Et non loquimur de characterem ordinis, si est idem per omnes gradus, et receptus in primo gradu intendatur per subsequentes, quia ista disputatio non est hujus loci, sed habet sedem in propria materia, ut ipse Suarez fatetur. Nec per multiplicationem actuum potest excogitari talis intensio, cum tamquam a causa instrumentali a characterem orientur. Imo in habitibus supernaturalibus augmentum non causatur ex actibus, nisi solum dispositivè; effective autem a Deo infundente illos; quod non potest contingere in characterem, quia deberet esse illud augmentum a Deo per sacramenta iterata, per quæ illum primo causavit.

ARTICULUS VI.

Utrum per omnia sacramenta novæ legis imprimatur character?

I. Unica conclusione respondet D. Thomas in corpore. Per tria tantum sacramenta character impri-

mitur, scilicet per baptismum, confirmationem et ordinem.

II. Quia plura de materia hujus articuli dicta sunt supra in hac quæstione in expositione articuli I et articuli II, dubio II, breviter litteram hujus articuli explicabimus.

III. Conclusio ut ponitur a D. Thoma est de fide, definita locis citatis in articulo primo, ex Concilio Florentino et Tridentino, etc. Et probatur a D. Thoma duplici ratione. Prima, in argumento Sed contra, sic: Sacramenta in quibus imprimitur character non iterantur, sed quædam sacramenta iterantur, ut patet de pœnitentia et matrimonio: ergo non omnia sacramenta imprimunt characterem. Major est definita in Conciliis citatis: minor est per se nota ex usu Ecclesiæ; et consequentia patet ex majori. Hæc ratio probat solum ex parte conclusionem, scilicet, quod non omnia sacramenta imprimunt characterem.

IV. Secunda ratio est in corpore. Pro cujus explicatione advertendum est, quod quia conclusio est exponibilis propter ly tantum, debet exponi per affirmativam et negativam. Affirmativa est: Per tria sacramenta character imprimitur: negativa est: Per nullum aliud sacramentum imprimitur character. Utraque propositio probatur ex eodem principio, hac ratione in corpore: Character est potentia per quam fideles deputantur ad divinum cultum: ergo ad agendum, vel patiendum. Antecedens ex supra dictis patet in tota hac quæstione. Consequentia probatur, quia nulla potentia est, quæ non sit activa vel passiva. Ulterius: Sed hæc tria sacramenta in conclusione ordinant hominem ad agendum vel recipiendum: ergo imprimunt characterem. Consequentia patet ex antecedenti: minor vero probatur: Ad

agentes pertinet sacramentum ordinis, quia per hoc sacramentum deputantur homines ad conficiendum eucharistiæ sacramentum per consecrationem, et tradendum illud, et alia sacramenta aliis, quod totum pertinet ad genus agentis.

V. Per modum vero recipientis ordinatur ad divinum cultum baptismus et confirmatio. Baptismus quidem, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia sacramenta Ecclesiæ, quod est satis notum, quia in non baptizato alia sacramenta nec valide, nec licite suscipiuntur: unde dicitur janua omnium sacramentorum. Similiter confirmationis sacramentum ordinatur ad recipienda alia sacramenta, et etiam instituit fidelem habitualiter ut ministrum ad profitendam fidem coram tyrannis, et sic petebat imprimere characterem, qui ex natura sua constituit subiectum capax aliorum sacramentorum, et potens fortiter confiteri fidem; utrumque enim habere, supra explicatum est in hac quæstione, art. II, dub. II.

VI. Negativa vero propositio probatur sic: Alia quatuor sacramenta non ordinant hominem ad divinum cultum per modum agentis vel patientis: ergo nullum illorum imprimitur characterem. Consequentia patet ex illo principio, quod character est potentia, et solum potest esse activa vel passiva; et sicut de tribus sacramentis probatur bene quod imprimant characterem, quia ordinant per modum agentis vel patientis; ita a contrario sensu bene probatur de aliis quatuor quod non imprimant characterem, si non habent ordinare per modum agentis vel patientis, quia ubi affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis.

VII. Antecedens vero probat D. Thomas de eucharistia, quia tripli-

citer pertinet aliquod sacramentum ad divinum cultum, uno modo per modum ipsius actionis, et hoc modo pertinet eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, in quantum est Ecclesiæ sacrificium: ergo per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum vel recipiendum in sacramentis. Antecedens est certum. Consequentia probatur, quia potius est finis et consummatio omnium sacramentorum: et propterea, quia in seipso continet Christum, in quo non erat character, sed tota sacerdotii plenitudo.

VIII. Potest aliter probari (quod forsitan solum est explicatio) quia actio est media inter agentem et recipientem illam, unde supponit constitutam potentiam agentis, et etiam supponit potentiam passivam in recipiente; et sic hoc sacramentum supponit quidem characterem sacerdotis tamquam agentis, et baptizati tamquam recipientis; in se autem non habet ubi possit causare characterem, quia in se solum habet Christum, qui non potest illum habere. Et cum de novo non ordinet sacerdotem conficientem ipsum ad agendum aliud, quia ministratio est actio consecuta ad consecrationem, et illi annexa ex vi ejusdem potestatis, in sacerdote non potest alium characterem causare; nec etiam in recipiente, quia non ordinat recipientem ipsum ad recipiendum aliud, et sic non causat distinctum characterem in eo, præter illum quem supponit.

IX. Nec contra hoc est, quod eucharistia, ut viaticum, præcedit unctionem per se, et sic ordinat ad recipiendam illam, quia hæc non est perseitas essentialis de qua loquimur: potest enim sine eucharistia recipi unctio licite et valide, ut sæpius in moribundo; et etiam post unctionem potest recipi eucha-